

241

Handwritten text in a Gothic script, likely a page number or title, partially obscured by a red and white striped border.



7

Q. B. V.

De

MINIMO NUMERO
PERSONARUM

FAMILIÆ ITEMQ.
CIVITATIS

EXERCITATIO ANTIBODINIANA,

Quam indultu

Inclutæ Facultatis Philosophicæ

In Academiâ Lipsiensi

PRÆSIDE

M. JACOBO THOMASIO,

Eloquentiæ Prof. P. & Minoris Principum Col-
legii h. t. Præposito

d. XI. Julij horis locq; consuetis MDCCLXIII.
defendet

JOHANNES ULRICUS *Mayer/*
Lips. Philosophiæ Baccalaureus.

L I P S I Æ

Typis Viduæ HENNINGI COLER.



V I R O

Nobilissimo Amplissimo & Prudentissimo
DN. PHILIPPO JUNGERO,
Hæreditario in Wolckwitz & Stür-
menthal/ Serenis. Elect. Saxon. Vectigali-
um Consiliario Gravissimo,

Dn. Patrono Mœcenati atque Affini meo,
omni observantiæ cultu æternum prosequendo

Exercitium hocce Politicum

In debiti amoris & honoris testimonium


offero, dico, confecro

Johannes Ulricus Mayerus.



Juvante Triuno!

I.



Capitale *Johannis Bodini* fuit ingenium, eruditio rara, historiae veteris æquè ac recentis cognitio vasta, scribendi peritia minime vulgaris. Has virtutes cum in aliis scriptis, tum in opere celebri de Rep. non sine applausu literati Orbis explicuit. Quibus si aut *ἀκρίβεια* quoque par adfuisse philosophica, aut defuisse saltem *ἡ ἀκρίβεια* in hoc genere Aristotelis insectandi, recteque ab aliis decreta novandi studium: nemo temerè futurus illo erat sapientiae civilis magister superior. Nunc his moribus effecit, ut ejus *κρίαι δόξαι* passim veniant castigandæ in scholis.

II. Ac in alias fortasse alibi: hinc in illam animadvertemus, quâ libri I. cap. 2. quinq; minimùm personas ad familiam, tres familias ad civitatem constituendam necessarias pronunciauit, invento tam insipido, tam omnis condituræ impatiente, ut certum esse debeat, ne Auctori quidem ex aliâ re, quàm familiari magnis ingeniiis *τῆς φιλοκαμίας καὶ φιλαυτίας* vitio, placere illud potuisse.

III. Ut observemus ordinem, præstruemus primò pauca de gradibus humanarum societatum: post in medium quæstione propositâ, qualis ea sit, quomodoque decidenda, conabimur aperire: postremò circumductas veritati à scriptore Gallo nebulas dissipabimus.

IV. Quemadmodum in oratione literæ ac syllabæ; sic in **1.** Civitate simplicissime societates, quæ patrifamilias cum uxore, servo, liberis intercedunt, elementorum instar obtinent. Hinc enim in familiam seu domum; ab hac in vicum seu pagum; à pa-

gis demum in *civitatem* proxima fit progressio, ut capitibus 1. & 2. lib. I. Polit. edocemur.

V. Altius Aristoteles in civili doctrinâ non adscendit, non, quia nulla esset Civitate inter homines *societas major*, (est enim ἐν III. Pol. 2. & VII. 4. est inter diversas gentes belli communis aut commerciorum causâ inita fodalitas, qualem Tyrrheni olim cum Carthaginensibus, Corinthii cum Megarensibus, habuere, III. Pol. 6.) sed quia nulla *perfectior*.

VI. Sunt ergò *compositæ societates*, quas hîc intueri convenit, hæ tres: *Familia, Vicus, Civitas*. Quæ vocabula, magnæ aliâs ambiguitati obnoxia, quomodo accipere debeat hujus scientiæ studiosus, non aliunde certius resciscet, quàm è sequentibus definitionibus.

VII. *Familia* est societas immediatè è conjugali & herili in utilitatem & vitam quotidianam à naturâ constituta, I. Pol. 1. *Vicus* est societas naturalis è pluribus familiis ad usum non quotidianum immediatè collecta, ib. *Civitas* denique societas est naturalis ex pluribus vicis perfecta, quæ jam omnis ubertatis, ut verbo dicam, extremum nata est, (ἤδη πάσης ἔχουσι πέρας τῆς αὐταρκείας, ὡς ἐπὶ εἰπεῖν,) nata sanè vivendi causa, existens tamen benè vivendi (γνωσμένη μὲν ὅτι ζῆν ἐνεκεν, ἕτοιμα δὲ εἶναι ζῆν,) ib. c. 2.

IX. In his definitionibus singulis differentias faciunt tum *finis*, tum *materia* proxima. Hæc enim duo in argumento civili, imò quovis practico, momentum habent præcipuum, sic tamen ut à *sine* demonstretur *materia*, fini quippe pro instrumento, ut ita dicam, inserviens.

IX. Finem *Familia* usum habet quotidianum; *Vicus* non quotidianum; *Civitas* αὐταρκείαν (suppetentem ad eleganter quoque & jucundè vivendum copiam) & τὸ εἶναι ζῆν, seu εὐδαιμονίαν, (quam Ethicus definit operationem animæ secundum virtutem optimam & perfectissimam I. Nicom. 7.) quatenus ea non uni homini, sed universo populo induenda est.

X. Proximè componitur è conjugali quidem & herili Societate *Domus*; è numero multis verò domibus *Vicus*; vicis *Civitas*.

XI. Ubi

XI. Ubi statim observa Domum è specie, Vicum & Ci-
tatem è solo numero diversis Societatibus conflare.

XII. Quòd in definiendâ Domo nulla *paterna* Societatis
facta mentio, inde est, quia *filius*, quâ talis, & quatenus in hanc
speculationem venit (venit autem ut educandus ante annos per-
fecti iudicii, εως αν η ηλικια, V. Nic. 6. h. e. εως αν λαβη την ε-
ανδρος ηλικια, I. Magn. Mor. 34.) non cooperatur Patrifamilias ad
finem, ut uxor & servus, sed est *finis* ipse, quotidianâ partium fa-
miliz cura & elaboratione indigens non minus atque possessio.

XIII. Sed est tamen *persona*, inquires. Patiemur ergo, in-
quâ, ut paulò amplius extensâ familia voce annumerentur partibus
ejus & liberi, (quod & Philosophus facit I. Polit. 3.) quatenus nem-
pe familia simpliciter notat societatem ex personis domesticis partim
imperante, partim subditis collectam.

XIV. Haud frustra dixi imperante, non imperantibus:
μοναρχεῖται γὰρ πᾶς ὁ οἶκος, I. Pol. 4. subaudi, naturaliter. Id
quod de vico & civitate dici æquè non potest. Erit autem &
hoc observatu non inutile.

XV. Quod addidi, naturaliter, eò valet, ne quis forte è
statu familiarum aberrante aut legali petitum telum in Aristote-
lem torqueat. Quod irritum sanè futurum est. Quicquid enim
disciplinæ civilis ad subjecti Politices notitiam pertinet, ad statum
naturalem eliminavit summus Philosophorum. Cujus vestigia va-
ricinamur in hujus etiam Quæstionis explicatione, si sapimus,
insequenda nobis fore.

XVI. His ita præstructis ad ipsam Quæstionem veniamus. II.
Quæri cœpit: Quot minimo numero persone ad Familiam, Vicum,
Civitatem requirantur?

XVII. Si verum amamus, totum hoc genus quæstionum
magis curiosum est & lubricum (ne quid hîc dicam gravius,
quàm utile aut necessarium: tale certè, ut in eo, tanquam in pro-
priâ materiâ versarentur illæ olim veterum εἰρωνυῶν cavillatio-
nes, quas σωρείτας (alio longè sensu, quàm qui notus hodiè sit vulgo
Dialecticorum,) vocabant, & φαλακρός. Ut cum rogarent, (un-
de & nomina his duobus sophismatibus facta:) quot grana essent
in acervus? à quoto pilo amisso calvus quispiam censeretur? Vide
Gassend.

Gassend. cap. 3. de Log. orig. Tom. I. Op. f. 4r. Plura exempla
suppeditabit Valla III. Dialect. 12. sub fin.

XIIX. Difficultatem negotii confessus est & Cicero in
Lucullo, ubi hunc ipsum de sorte locum tractans p. 23. cum
lubricum eum & periculosum vocasset, mox subdit: *Rerum na-
tura nullam nobis dedit cognitionem finium, ut ulla in re statuere pos-
simus quatenus. Nec hoc in acervo tritici solum, unde nomen est,
sed nullâ omninò in re minutatim interroganti: dives, pauper; clarus,
obscurus sit; multa, pauca; magna, parva; longa, brevia; lata, angusta,
quanto aut addito aut adempto, certum quod respondeamus, non ha-
bemus.*

XIX. Enimverò rerum hujusmodi ea est varietas, ut
minimæ quantitatis maximæ certos fines assignare, qui ubiq;
sine exceptione valeant, sit operam perdere. Itaque nodi illi
Gordii non solvendi sunt, sed amputandi. Demonstrari certus
numerus non potest: nominetur ergò incertus, aut certus qui-
dem, sed qui vim habeat incerti.

XX. Planè talis erat Salvatoris responsio ad similem in-
terrogatiunculam Petri: *quoties dimittendum esset fratri? & an se-
pties sufficeret? imò verò, inquit, non septies, sed septuagies septies,*
Matth. 18. 21. 22. hoc volebat: toties, quoties in te frater peccaverit.

XXI. Quamobrem à quærentibus: *quot homines famili-
am, quot vicini pagum, quot cives Remp. quot milites exercitum con-
ficiant? & similia,* postulemus hoc prius expediri nobis: *quot ipsi
ad suum cuiusq; societatis finem necessarios arbitrentur? Quod hîc
ipsi nobis respondebunt, idem responsum habeant sibi. Vix au-
tem poterunt, de *Vico certè, Rep. Exercitu* respondere aliquid fi-
xum atque immobile.*

XXII. Equidem facile fuerit in his paucitatem aliquam
excogitare justo minorem, aut abundantiam æquo majorem: nul-
lum enim instrumentum infinitum est, I. Pol. 5. nec tueri vim su-
am potest, sive parvitate sive magnitudine modum excedat,
VII. Pol. 4. At verò primæ ultimæ mensuræ, quæ justa sit, ex-
actos terminos quasi punctis utrinque suis designare circum-
stantiarum lubricitas non finit.

XXIII. Non inficior, aliquam personarum multitudi-
nem

nein in his societätibus flagitari: sed qualitate illam Theoria Po-
litica metitur, non quantitate. Age enim, à quantitate rem æ-
stima. Mille armatis, quos in nos educit hostis, superandis
haud dubiè 1200. cives sufficient, sexcenti non sufficient. Atqui
contrà testantur historix, fugata sæpè fuisse magna ῥιψασίδων æ-
gmina à duplo vel triplo paucioribus sed strenuis, etiã cum pa-
tria, vel etiã à strenuorum parte iniquiora, fuere cætera. Nempe
quòd viribus transigendum est negotium, non numero. Id quod
ἀνιζόμενⓄ Alexander pro magnâ papaveris copiâ modicum
piper Dario remisisse legitur.

XXIV. Hæc causa fuit Aristoteli, cur *nec domui, nec vico*
uspiam, nec civitati certum personarum numerum assignaret, ac
ne in optimâ quidem Rep. suâ, cùm de numero civium agere
proposuisset, ad calculos sedere vellet. Apertè enim testatur,
non multitudinem eorum spectari oportere sed facultatem.
Δεῖ μάλλον, inquit, μὴ εἰς τὸ πλῆθος, εἰς δὲ δύναμιν βλέπειν. ἔστι γὰρ τὸ
καὶ πόλεως ἔργον, lib. VII. c. 4. Et in fine capituli concludit indefini-
tè ὅτις ἐστὶ πόλεως ὄρος ἀριστος, ἢ μεγίστη ἔπληθος ὑπερβολὴ πρὸς
αὐτάρκειαν ζωῆς εὐσύνουτοςⓄ.

XXV. De Familiâ tamen, (compositarum societatum mi-
nimâ,) fatendum est, ea illum jecisse fundamenta, unde conclu-
dere queamus, tres minimum personas constituenda justæ familie
sufficere, Patrem familias, Uxorem ejus, & servum. Quam senten-
tiam & passim hodiè reperias apud scriptores Politicorum.
Consule Arnisæum *I. Polit. 2. p. 15. & I. de Rep. 1. f. 9. n. 2. p. 21.* Jac.
Martin. *I. Pol. 2. p. 12. & 17.* Liebenthal. *Polit. disp. 2. q. 7. p. 27.* Cel-
lar. *I. Polit. 5. §. 4. p. 68.* Wendeler. *lib. II. Philos. Pract. f. 1. c. 2. p.*
288. H. Prætor. *Theat. Polit. p. m. 152.* Micræl. *I. Polit. 2. §. 2. p. 14.*

XXVI. Cùm enim conflata sit Domus è duabus societa-
tibus simplicibus, conjugali & herili, per §. 7. & 10. ad has autem
dictæ tres personæ sufficiant: consequens est, ut in hunc eundem
numerum cogi possit & Domus.

XXVII. Petitum hoc est argumentum non à materia tan-
tùm Familix, h. e. duabus societatibus simplicibus sed & formâ re-
giminis domestici, quæ per §. 14. est monarchica. Hinc enim fit,
ut unus Paterfamilix simul ut maritus præsit uxori, simul, ut do-
minus

minus servo (horum quippe τὸ βελοπικὸν alterius nullum est, alterius ἀκυρον, I. Polit. 8.) eoque bis numeretur in societatibus duabus, *quatuor* alioqui personarum copiam postulaturis.

XXIIX. Sed cur, si hoc admittimus, non matri quoque familias duplex officium damus, alterum uxoris, alterum servi aut ancillæ? Ideo nimirum, quia profectò eo tempore, cum gestando, parturiendo, lactando foetu munus uxorium implet, vel planè non, vel perquam incommodè servi obire vices potest. Adde, quòd ipsa natura uxoris officium à servili, personarum etiam conditionibus, discrevit. Pulchrè Philosophus I. Pol. I. Φύσει μὲν ἔν διαίρεσι τοῦ θήλυ καὶ τὸ δῆλον ἔθεν ἡ φύσις ποιεῖ τινῶν, οἷον χαλκοτύπῳ τὴν Δελφικὴν μάχαιραν πενιχρῶς, ἀλλ' ἐν πρῶτῳ ἔν.

XXIX. Unde pro demonstrando minimo personarum in familia numero novum nascitur argumentum à sine, quæ probandi ratio in politicis est concinnissima. Quærit enim paterfamilias & *liberos*, in quibus sit superstes post mortem, & *opes*, è quibus cum suis vivat. Horum finium alterum uxoris, alterum servi adjumento consequitur. Habemus ergò rursus è *Paterfamilias, conjuge, & servo* perfectam Domum, quasi ex *unâ* imperante personâ, & *duabus* (ob duplicem finem) administris.

XXX. Arniseus p. 16. Polit. etiam *Hesiodi* autoritate munnit hanc sententiam, jubentis, ubi primùm de domo tibi prospexeris, fœminam & bovem adsciscere lib. II. ἐργ. v. 23.

Οἶκον μὲν πρώτιστον, γυναῖκά τε, βῆντ' ἀροτῆρα.
Putes enim in fœminâ *uxorem*, in bove *servum* præcipi. ὃ γὰρ βῆς αὐτῶν οἰκέτες τοῖς πένησιν ἔστιν, ut ait Aristoteles I. Pol. I. Qui utique versum *Hesiodi* manifestè in hunc sensum d. I. exponit, nec dissimilia differit I. Oecon. 2.

XXXI. Verùm qui sequentia *Hesiodi* inspiciet, eum in alia ire omnia necessum est. Statim enim altero versu, quod de fœminâ dixerat, sic continuantem legimus:

Κτητὴν, ἢ γαμετὴν, ἥ τις καὶ βῆσιν ἔποιτο.
Disertè de *uxore* se loqui negat, de *ancilla* bubsequâ fatetur. Hæc ergò societati herili relinquatur, & bos id, quod est, per nos maneat, nec transfiguretur in *servum*. De matrimonio autem inundo versu demùm 313. *Hesiodus* incipit concionari.

XXXII.

XXXII. In aperto est, Philosophum eo loco à Poëtæ mente discesse. Quod jam antè observarunt eruditi utriusque scriptoris interpretes, *Hesiodi* quidem Philippus Melanchthon p. 211. ed. Tigur. & Steph. Riccius c. 3: *Aristotelis* verò tum ad *Politica* Perionius p. 293. Montecatinus f. 30. Giphanius p. 21. Piccartus p. 31. tum ad *Oeconomica* Ioach. Camerarius p. 57. & his omnibus prior Leonh. Aretinus p. m. 312: ed. Venet. 1562. ad Tom. III. oper. Averr.

XXXIII. Si Timæum Tauromenitam audimus, cujus expositionem scholia Procli ad Hesiodum (p. 97. edit. Heins.) & inde Nunnesius (p. 47. ad vit. *Aristot.*) produnt, reperta ratio est componendi dissidii. Verùm hic non tam id egit, ut beneficeret Aristoteli, quam ut morbo suo, ex quo meritus est *Ἰαλίματι* cognominari, fibulam laxaret, unoque screatu in duos se longè viros meliores evomeret bilem. *Γυναικα κτητὴν ἔραμετὴν* interpretatus est pellicem, h. e. ut Giphanius ad *Aristot.* loquitur, *mediam quandam mulierem, quæ & uxoris & ancille munus gerat.* Ita volupe ipsi fuit simul Hesiodum, quasi ex glossa Aristotelis, ut improbi autorem consilii infamare, simul insultare Aristoteli, quæ ex Hesiodi monitu de *Herpylide* ancillâ filium quæsiisset *Nicomachum*. Apage hunc conciliandi morem! & corrige interim obiter inscitiam librarii Giphiani, qui pro *Herpylide* *Erisipylem*, pro *Nicomacho* *Telemachum* lectori obtrudit.

XXXIV. Sed quomodo ergò causam Aristotelis orabimus, si forte crimen falsi illi impingat *Ascræus* vates? An dicemus, spectasse eum, non quid Poëtæ in mentem venisset, sed quid Deo, cujus afflatu credebant gentiles carmina sapè ab ipsis carentibus, aliter intellecta effundi? Causationi huic Aretinus quodammodo favere videtur: rectius verò eam repudiant Montecatinus & Piccartus. Cæterum, quam ipsi substituunt, ea parum honorifica est Philosopho. Ait enim Montecatinus, *non insolitum ipsi esse, sumere ex dictis aliorum eam tantum partem, quæ ad suam sententiam faciat, licet aliò dirigatur.* et cum Soc Piccart,

XXXV. Convenientissimè dicetur, quæ Poëtæ verba protulit Aristoteles, ex memoriâ protulisse, oblitum eorum quæ sequerentur: hinc fieri facilè potuisse, ut aberraret à sensu, quem

B

ne nos

ne nos quidem, absque sequenti versiculo foret, teneremus. Viris magnis ἀμαρτήματα ejusmodi μνημονικά & eveniunt subinde, & ab æquo lectore benignè condonantur.

XXXVI. Parum ergo ad numerum domesticæ societatis versus Hesiodi. E quo tamen, ne nihil plane in rem nostram convehamus, hoc libet saltem discere, quòd pro servo hinc ancilla quoque nominari possit. Etenim, quòd servorum & ancillarum diversa ferè solent esse ministeria, magis est, ut à legali statu deliberatum, quàm à naturali, quem hic per §. 15. unicè curamus, imperatum dicatur. Neque verò ut in conjugali, sic in herili societate finis primarius à sexu pendet.

XXXVII. Illa ad naturalem statum restrictio nobis etiam in hoc prodest, ut intelligamus, in hac Politicâ speculatione tacendum esse de legibus Romanorum civilibus, nisi pernicioso instituto limites disciplinarum confundere velimus. Quâ quidem in re præter Bodinum multi peccant scriptores Politici: qui non putant se officio functos, nisi Jctos condimentarios faciant Philosophorum: in quo à neutris est cur multum gratiæ expectent.

XXXIIX. Talem ex more suo in hac etiam questione nostrâ se gerit Libenthalius, *Disp. II. q. 7.* Quam ex vero decidit quidem, sed ita, ut primas & dubitandi & decidendi partes legibus deferat civilibus. Ecce enim, dubitandi rationes ilicò ipsi nascuntur ex *l. unic. in fin. ff. de off. cons. & l. apud filium §. apud Coll. ff. de manum. vindict.* ubi scil. Consules, (ex Arnif. *I. de Rep. l. f. 9. §. 1. p. 21.* hunc enim describit, addendum fuerat, & Prætores) qui bini tantùm erant, Collegarum nomine censentur. Unde (sicut & ex eo, quòd Tutores, licet pauciores, quàm tres dari poterant, tamen collegarum appellatione contineri dicuntur, arg. *l. collegarum 173. in pr. ff. de V. S.*) sequi existimes, duas etiam personas domui sufficere. Vicissim decidendi ratio prima illi est *l. Neratius 85. ff. de V. S.* ubi ex definitione Jctorum ad Collegium sive corpus constituendum pauciores tribus non admittuntur.

XXXIX. Paulo cautior hac parte fuit Arnifæus, qui illas de Collegio argutationes loco ἀεανλῖς tantùm, non in argumentorum speciem usurpat, ad probandum autem postea numerum

= merum familiae fortiori, ut appellat, ratione utitur è visceribus doctrinae Politicae. Conf. eund. p. 15. Polit. §. In promptu.

XL. Peccat verò argumentum Liebenthalii non modò $\mu\tau\beta\alpha\iota\sigma\iota\varsigma$ $\alpha\lambda\lambda\omicron\ \gamma\acute{\epsilon}\nu\theta\epsilon\iota$, sed fortassis etiam dissimilitudine comparatorum. Quod enim ita disputat, quasi inter Collegium & Familiam nihil interfit, in eo certè dissentientem habebit Bodinum, qui illum ipsum Neratium suae causae de quinque domesticis personis patronum advocat, non obscure rationem eam secutus, quae Alstedium movit, ut quatuor minimùm personas familiae necessarias pronuntiaret, quia *Oeconomia sit aliquid eminentius Collegio*, cap. 2. Oecon. Reg. 2. Tom. III. Encycl. f. 137. Nostrà interim parum refert, rectiusne Domum Liebenthalius *equalem* Collegio posuerit, an Bodinus *ampliores*: satis est, utriusque argumentum in foro Philosophiae Practicae non esse nauci.

XLI. Utique hoc ratiocinandi modo semel admisso, quo restandem hinc evaserit, commemorare penè ridiculum est. Illa quam diximus *lex Neratius* in nasum cereum abiit, quem suae quisque larvæ opinator aptaret. Ex eadem enim cum alius tres, alius quatuor, alius quinque personas *Familiae* dedisset, non defuerunt porrò qui, porrectà in majores societates ratione, arguerentur, tres quoque ad minimum familias ad *pagum* constituendum requiri apud Bened. Winclerum *lib. V. de princ. Jur. c. 4. p. 474. ab init.* qui in hanc sententiam ipse non leviter inclinat. Bodinus verò *pagum, homo scil. urbanus, pratervidet, statimque Civitati tres familias inchoandae destinat, in eodem argumento absurditatem duplicans.*

XLII. Nobis tam beatis esse non licet, ut quemadmodum illi ex uno Neratio, sic nos ex eodem rationis dictamine Familiae juxta ac Pago & Civitati certum numerum provideamus.

XLIII. Dedimus eum utcumque Domui. Nunc ubi ab hac parvâ societate pes promovendus est ad majores, *Pagum & Civitatem*, incerta se omnia ostentant. Non enim aequè ut minima, sic maxima numerare expeditum est.

XLIV. Illa profectò ratio, quam §. 27. ex materia & forma petebamus, hinc nos destituit: quandoquidem hac parte per §. H. & 14. Vicus & Civitas multum differunt à Domo.

XLV. De *sine* superesse spes aliqua poterat. Verum & hanc enecant tum *finis amplitudo*, tum internexorum finib. *casuum fortuitorum varietas*. Omnino circa Vicum & Civitatem se aperiet veritas eorum, quæ §. 17. & seqq. prædiximus.

XLVI. *Pagi* ob utilitates non quotidianas coeunt per §. 9. Hæ autem ferè spectantur in casibus *fortuitis*, ut arcendi ab ovilibus lupi, ut pellendi è tecto furis nocturni, ut incendii restinguenti, ut erigendæ sepis (quod habet proverbium) vento dejectæ. Hic ergò ut casus ipsos ac pondera quasi casuum pro circumstantiis variantia: ita idoneam his casibus procurandis hominum multitudinem etiam minimam, nemo temerè se jactet habere in numero.

XLVII. De *Civitate* tantò validius idem asserendum, quanto simul cum *sine ampliore casuum* quoque & periculorum accrevit *varietas*.

XLVIII. Concludamus ergò, nec vicinorum nec civium numerum posse à nobis minimum exquisito calculo demonstrari: & idè artis esse facere, quod Stoici præcipiebant adversus Soritas, & id genus captiosas interrogationes alias, h. e. τὸ ἠοὐχάειν, & nihil respondere, nihil definire. Quæ de re vid. Cic. *Lucull.* p. 23: Gell. *XVI.* 2. in fin. P. Victor. *XXXII.* Var. *Leet.* 14. Nam quod doctiss. Rutgersius IV. Var. *Leet.* II. ἠοὐχάειντα ipsis sophismatum generib. accenset, frustra facit: & de emendatione igitur loci Gelliani I. noct. att. 2. quoad eam vocem, amplius quaerendum.

XLIX. Hugo Grotius II. de *I. B.* 16. §. 3. ne in *statu* quidem *legali* audeat definire numerum *Exercitus* (societatis civili non absimilis,) sed in genere ait esse *militum multitudinem, quæ parvulam fines hosticos ausit invadere: subditque, pro viribus hostium estimandum, quæ copie exercitum faciant.* Adde quæ apud ipsum sequuntur de discrepantibus inter se calculis Ciceronis, Polybii, Ulpiani, Livii. Nihil ergò & à nobis peccabitur, si rogati de minimo numero personarum in Vico aut Civitate, intrâ terminos τῆς ἠοὐχίας nos contineamus.

L. Id tamen affirmare possumus, civitate minimâ Pagum etiam maximum, perinde ut Pago minimo maximam Domum, mino-

minorem esse oporteret sed in statu naturali. Nam in legali forte contra evenisse aliquando non mirabitur, qui cogitabit, ut in corpore Physico sic in ethico dari posse παραβάσεις & monstra: sed horum in definiendis ac demonstrandis speciebus securus vivit Philosophus. Tale monstrum videntur peperisse, qui mille personis definierunt Familiam, apud Bodinum fol. m. 9. lit. D. modò ipse Bodinus mentem eorum rectè percepit: nam cur ἡβραῖα Hebræis familiam à numero millenario significare potuerit, aliàm rationem suggeret Lexicon Schindleri fol. 83.

L I. Etiam hoc amplius. Quod ἐν γυμνῇ non possumus, ἐν πλάττειν tentare quid verat? Tentemus autem in Civitate tantum, ne tadio sit prolixitas, præsertim cum de Pago multi ne manum quidem vertant.

L II. Imposuit Plato Reip. suæ cives 5040. Bodinus civitatem esse hominum etiam non amplius 15. credidit. Hic, ubi secundum ea, quæ §. 22. allata sunt, probaverimus, Platoniam civitatem multitudinem nimiam, Bodinianam contra paucitatem laborare: quæ his numeris interjecta erit latitudo, circumscribet nimirum maximam pariter & minimam civium in statu naturali mensuram, alioqui sine temeritatis notâ punctim non definiendas.

L III. In utraque disputatione non aliis fundamentis opus est nobis, quàm è quibus VII. Polit. 4. de optimâ civitatis mensurâ differitur. Sed uberrimæ gravissimæque doctrinæ extremas tantum lineas rademus. Tota res è duplici, quem §. 9. tetigimus, sine pendet civitatis. Cujus ἀντάρκεια sub nimiam civium paucitate, (ἡ μὲν ἐξ ὀλίγων λίαν ἐκ ἀντάρκειας p. 447.) vicissim sub nimiam multitudine ἐνομία periclitatur, (ἀδύνατον εὐνομίας εἶναι λίαν πολυάνθρωπον p. 446.) Enimverò similis est civitas navigio, quod æquè ut unius palmæ brevitatis, sic duorum longitudinis stadiorum inutile reddit, istoque nomine indignum, p. 447.

L IV. Secundum hæc facile est arbitrari, Bodini civitatem esse navigium ἀντάρκεια. Eam ille ex tribus familiis, familiam unam è quinque personis extruit. Ergò tres viri, totidem fœminæ, novem servi sunt illa præclara Civitas Bodini. Condonemus illi, quod fœminas & servos admiscuit civibus. Ponamus omnes illos quindecim esse patres familiarum, Ne sic quidem Urbi sua constare poterit ἀντάρκεια.

B 3

L V. Et

L V. Etenim ex multis non hominibus tantum, sed generibus hominum conficitur civitas, II. Pol. 1. ita quidem, ut, si quid ex his deesse contigerit, impossibile sit talem κοινωνίαν esse αὐτάρκη, VII. Pol. 8. Commemorantur autem d. l. partes Civitatis hæc sex: *agricolæ, opifices, milites, mercatores, sacerdotes, magistratus.* Conf. IV. Pol. 4. Potestne ulla ratio excogitari, ut his muneribus universis pugillus iste hominum perfungatur?

XVI. Quid? vel soli τῷ ὀπλιτικῷ μέρει τῆς πόλεως pudendus Bodini manipulus est. Quem & Thomas Hobbes negaret sufficere ad societatem vel solius securitatis causam ineundam, per ea quæ docet c. 5. de Cive n. 3. p. 80. & ex eo Pufend. II. Jurisp. univ. obs. 5. §. 2. p. 354. Quocumq; te vertas, Bodinianæ sententiæ absurditas pellucet.

LVII. Generosior è diversâ parte lapsus fuit Platonis, qui lib. V. de Legib. f. m. 846. agricolas, 5040. (minore numero omissis Aristoteles 5000. memorat II. Polit. 4) qui iidem & pro finibus propugnarent, conscribendos in Remp. suam censuit. Quo pacto sanè excessit modum: sed αὐτάρκειαν attigit tamen: verum pro Civitate Gentem dedit, h. e. aliquid Civitate majus. Quale *Babylon* fuit olim, non Urbs, sed monstrum urbis, quippe *cujus captæ sensum a jure tertio demum die ad aliquam ejus partem pervenisse.* Hæc omnia sunt Aristotelis, cujus locos vide, atque inter se compara, VII. Pol. 4. ἢ ἡ ἐκ πολλῶν ἀγαν. II. 4. ἐπεὶ ἔτι νῦν εἰρημένον, III. 2. πιάυτη δ' ἴσως ἐστὶ καὶ Βαβυλων. Ubi obiter moneo, quod de captâ Babylone dixit, ad Cyri tempora, non ad Alexandri referendum esse: ut frustra Ramus ex eo loco p. 159. ad marg. speraverit, tempus scriptionis Politicorum definire se posse.

LVIII. Sed hinc nova lis nobis cum Bodino, ex iis quæ fol. 10. lit. C. apud ipsum leguntur, eaque multiplex. Quæ nos ideò breviter in partes tributa frangemus minutatim,

LIX. Negat ille, quid inter familiam & Remp. inter Remp. & gentem intersit, ex multitudine personarum decidi debere: ita fieri, ut familia interdum major sit, quam Resp. Resp. in statu legali concedo, in naturali, nego. Conf. quæ initio statim Politicorum disputantur à Philosopho.

LX. Ex-

LX. Examinemus & exemplum Bodini. *Familiam Tuberonis, ait, cum sexdecim liberos una cum uxoribus ac servis imperio domestico regeret, majorem fuisse Rep. Resp. i. eâ, quam ex quindecim hominibus conflat Bodinus, concedo; eâ, quam juxta principia politica conflare debuisset, nego. 2. De Tubero quod narrat, non est, ut ex Æmilio Plutarchi, quem in margine citat, probare possit. Sedecim unius gentis Ælios, & in his Tuberonem Æmili Pauli generum, in unâ domo cum liberis & uxoribus vixisse, Plutarchus scribit; superstitem his omnibus, cum uxores duxissent, Tuberonem sive patrem sive ex majoribus aliquem (nam & hoc dubium) præfuisse, non scribit. Nec effugiet Bodinus, si memoriam forte incuset suam, & L. Ælium Patrum Tuberonem voluisse se dicet, quem è Val. Max. lib. V. c. 6. decem & septem milites suæ familiæ uno prælio amisisse prætozem novimus. Quis enim præstabit, hos omnes Patro filios fuisse? cum agnati esse potuerint, id quod de filiis silentium Valerii probabile facit.*

LXI. Pergit Bodinus: *Igitur fallit Aristoteles, qui putat Babylonis urbem — gentem potius dici debere quam Remp. quam ipse decem millibus civium definiendam putavit: quasi absurdum esset gentes multitudine innumerabiles, ac locis infinitas, quæ modo ejusdem imperii summi potestate regantur, Remp. appellare. His similia declamat cap. 6. Meth. Hist. p. 183, 184. Verum Resp. Judicium Aristotelis de Babylone exaudiendum est juxta statum non legalem sed naturalem. In quo ipse Civitatem seu πόλις non extendit ultra terminos πληθὺς συνόπτως per textum §. 24. allegatum. Tale πληθὺς non fuit Babylone. Nec πόλις ergo, (hæc enim voce disertè Aristoteles utitur,) sed ἐθνὸς civitate amplius. Jam πόλις seu civitas Aristoteli longè aliud quid est, quam Resp. (sive Reip. vocem Bodiniano, sive Aristotelico sensu capias,) licet hoc neget Bodinus f. 49. B. de Rep. At eum nos novimus non magis curasse, ut in Aristotelis mentem se penetraret, quam ut naturalem statum à legali distingueret. Quo factum est, ut hîc reverâ non Aristotelem, sed sua somnia flagellet.*

LXII. *Quanquam & ex his Philosophum tueri possumus. Nam vel mille Bodiniana Resp. si ad singulas quindecim hominibus contenti sumus, agrè explebunt unam Babylonem. Hanc ergo*

ergò cur majorem unã justã sive civitate, sive Rep. non licuerit
pronunciare? hoc enim Aristoteli est non *πολι* esse, sed *ἔθνος*.
Verùm hac multitudo, inquit Bodinus, *sub uno fuit imperio*. Quasi
non ipse doceat p. 184. meth. & I. de Rep. 6. f. 48. Remp. ex plu-
ribus civitatibus constitui posse, perinde, ut Aristoteli multæ *πό-
λεις* *ἔθνος* conficiunt.

LXIII. Restat expediamus, quã specie veritatis scripserit
Bodinus, *Remp* (sinamus eum hãc voce pro civitate uti,) *ab Ari-
stotele decem millibus civium fuisse definitam*. Quĩ potuit? cùm
probaverimus supra §. 57. Platonicam civitatem, quòd homi-
nes 5000 numeraret, pro gente fuisse ab eo reprehensam. Omitto,
quæ §. 24. dicta sunt. Nec Bodinus hĩc, quod aliàs solet, locum
ullum margini appinxit. Legitur tamen aliquid III. Polit 6. quod
perperam intellectum errandi causam dare potuit. Decernit ibi
Philosophus, si non aliã causã coeant homines, quã commercii-
orum & *συμμεταχίας*, civitatem non fore, *etiam si decem millia sic co-
eant*. In græco sunt *μυριαί*, quos rectè vertit Ramus *numero quam
plurimos*; Aretinus, Perionius, Strebæus, Victorius, Giphanius,
Heinsius *decem millia*. Legerunt ergò *μυριαί*. Sed utramcunq;
lectionem sequare, parum ad rem præsentem interest. Conditio-
nalis enim nihil ponit: & si quid hĩc ponit, de aliorum sententiã
interpretabimur. Jam nec de numero, sed de fine ac formã Civi-
tatis ibi fertur sententia.

LXIV. Perstemus ergò in eo, quod *speculari* naturam
Reip. volentibus, non de *quantitate* civium, sed *qualitate* sit labo-
randum: hæc enim, non illa *magnitudinem civitati, quã tali*, exilita-
tẽmve conciliat: perinde ut Hippocratem *magnum medicum* voca-
mus, non ex mole corporis, sed scientiæ copiã, quam & ipsam e-
legantissimam similitudinem Aristoteli è VII. Pol. 4. debemus.

LXV. Sed quid est, quòd in *Theoriã* politicã statuque
naturali qualitatem unice spectamus; ad *Praxin* & *legalem* statum
ubi perventum est, omnia ferè numeris è diverso definitis trans-
iguntur? Statuendum quid est in concilio? Numerantur suffra-
gia, non ponderantur. Triumphum olim quis petebat? Nume-
rabantur & hostes cæsi, & cives amissi. Senatoriam, aut aliam
dignitatem? Facultatibus, annis, tantum non ipsis petentium
corpo-

corporibus applicabatur decempeda. Jam quod opidum est, qui pagus, qui non certum numerum Judicibus, Scabinis, aliisque magistratibus statuerit? Quot homines collegii, cœtus, gentis, turbæve appellationem mereantur, accuratè decernunt Icti. A quibus & bestiarum greges certis censeri numeris accepimus. Quindecim enim oves, quinque sues, quatuor equinos pullos in gregem quosque sui generis computat Alciatus *ad l. detestatio §. ult. de V. S.* Hæc omnia certum est ad legalem statum pertinere. Quem & ipse philosophus noster intuens VII. Pol. 16. in civitate vult definitum esse numerum filiorum procreandorum. *Hujus ergò tam diversi instituti quenam ratio?*

LXVI. Una atque eadem utrobique: *ut evitentur lites = atque alia incommoda.* Quæ in *Theoriâ*, si numerum definias, in *Praxi*, si non definias, mirificè pullulare compertum est. Quæres iterum: quanam hujus ergò diversitatis causa? In promptu est responsio: *Theoria* intellectum sequitur, *Praxis* sensum. Ille universalis ex formis & qualitate judicat; hic singularia ex materiis & quantitate palpat. Quòd si commutatis vicibus *Theoria* ad abacū Arithmetiçum, *Praxis* ad ideas Platonicas sedere incipiat, omnia diffidiis implebuntur. Què enim numerum reperiet umbraticus doctor, qui vel in omnem Rerump. varietatem quadret, vel infestari non possit à Sorite Chryssippi? Rursus quam ideam, qui in foro versantur, animo concipient talem, ut eandem extrà se demonstrare digito, & ab omni contradictione liberare possint?

LXVII. Multæ nobis theses in secundâ laboris parte effluerunt. Sed non est, cur pœniteat operæ. Lumen accendimus, ad cujus radios ultrò evanescit, quicquid *nebularum Bodini* membro ultimo servavimus.

LXVIII. Duo sunt, in quibus secessionem fecit à Scholis. Unum: *non pauciores quinque personis ad Familiam requiri.* Alterum: *tres familias satis esse pro Civitate.* In priore excessum ejus, in posteriore defectum notamus.

LXIX. Quod ad Familiam attinet, cùm eam initio cap. 2. f. 8. de Rep. definiisset *plurimum* sub unius ac ejusdem patrisfamilias imperium subditorum — rectam moderationem: mox f. 9. his verbis suam de numero sententiam suadere conatur: *Plurimum*

©

rium

III.

rium appellatio non potest in familiâ duorum numero contineri, ut ferè
 1) l. ubi de semper 1): cum ad collegium constituendum tres persone necessariae
 testibus. sint 2): tres quoque personas præter patremfamilias necessarias in fa-
 2) l. Nerati- milia definienda ducimus ex sententiâ jurisconsultorum 3). Et quoni-
 us de verb. am familia, collegia, coetus, civitatesque omnes ac totum genus homi-
 num interiret, nisi connubiis quasi quibusdam seminariis conservare-
 tur, ac propagaretur: consequens est, familiam suis omnibus numeris ac
 3) l. familia. partibus sine matrefamilias perfectam & consummatam non videri.
 eod. Ex quo fit ut quinque personis integra familia constituatur.

LXX. Bodinum hîc reprehendunt Arnisæus, Liebenthal, Cellarius & Micrælius supra §. 25. citati: sequitur, quod sciam nemo, nisi quod Alstedius, ut §. 40. innuebamus, partem Bodinianæ sententiæ suam facit.

LXXI. In argumenti formulam copulat Bodinus partim Leges, partim Rationem. Leges duas, quarum una de Neratii sententiâ tres ait facere collegium; altera Familiæ appellatione etiam ipsum principem familiæ contineri asserit. Rationem unam, quia sine connubiis genus hominum interiret. In priori lege tres se personas putat invenisse; in posteriore quartam, patremfamilias; in ratione quintam, uxorem ejus.

LXXII. Eapropter tres illas personas: à quibus demonstrati- onem orditur, quanquam ipse tacet, commodissimè servos inter- pretabimur, ne patrifamilias fœdo exemplo ante uxorem adve- niant liberi. De servis etiam Bodinum exaudiunt Arnis. Liebenth. Micrælius, prolatis insuper decretis Jctorum aliis (quod miror Arnisæum & Micrælium quasi planè ex Bodini mente fecisse,) qui- bus in eam sententiam inductus fuerit. Sed non est, cur plura Bodi- no ingeramus. Quæ ipse ultrò suscepit, plus satis habent solœ- cismorum Logicorum.

LXXIII. Primò in Quæstione ad Theoreticam Politices partem pertinente, omittendas esse leges positivas, monitum su- pra §. 37. Secundo numeri alicujus partem legibus, partem rati- one probare, monstrum est Demonstrationis. Tertio leges istæ à proposito sunt alienissimæ. Prior de Collegio, non Familiâ loqui- tur. Consequentiam verò inde trahere volenti ad Familiam mu- niendum ante omnia erat argumentum contrà inversionem, quæ
 ex §.

ex §. 38. & 41. etiam *κτὴρ ἀνδρῶν* colligi potest. Posterior lex de familia sonat quidem, sed neque sola, neque præcedenti juncta probat, quod postulabat argumentum Bodini, patrem esse personarum familia unam de quatuor.

LXXIV. In Alstedio paulò parcior est seges erratorum. Cùm Oeconomia sit aliquod eminentius Collegio, necessum est, inquit, ut minimum quatuor ibi sit personæ. Quòd familiam collegio amplio-rem facit, cum Bodino commune habet. Quòd autem quatuor personis contentus est ad domum perfectam, ab imperfecta hanc apertè distinguens, secundùm eos interpretari licet, qui negant absque paternâ societate domum esse perfectam. Quam sententiam tuentur Keckerem. *Synops. Oecon. Part. I. c. 2. Tom. II. Syst. p. 1078.* & Burgersdic. *Id. Oecon. c. 6. n. 1. p. 20.* Facient ergò familiam Alstedio hi quatuor: *Duo conjuges, servus, filius.* Quà dere è §. 12. 13. judicandum fuerit.

LXXV. Tantum de priore Bodini effato. Cui statim continuat alterum, ita scribens: *Quòd si tribus personis, nec paucioribus, constat collegium, totidemque familia præter patrem & matrem familie: sequitur tres familias nec pauciores ad civitatem constituendam necessarias esse. Inde opinor Apulejo ac veteribus contritum illud ac pervagatum, quindecim personis populum conflare.* In eandem sententiam hæc leguntur f. 10. *Quare si ex tribus familiis unus pater familie ceteris imperet, eique pareatur: aut unus duorum imperium subire non recuset: aut tres simul ac semel summum jus in trium familiarum subditos exerceant: equè Respublica dicetur, ac si multitudine ciues innumerabiles amplectatur.*

LXXVI. Transeant, quæ è supra §. 54. seqq. item §. 73. huc applicari possunt. Cur saltum fecit Bodinus, à familiis statim ad Civitatem *omisso pago* properans? Non illum hîc voco ad Aristotelem. Suos illi gradus cognoscere jubeo è cap. 6. *Meth. hist. p. 184.* & I. de Rep. 6. f. 48. C. *familiam, vicum, urbem, civitatem, principatum,* Sic ergò debebat adscendere: Tres familiae vicum faciunt; 3. vici urbem; 3. urbes civitatem; 3. civitates principatum. Non minus bella hæc scala erat futura, quàm illa nescio quorum apud Limnæum lib. II. *Jurispubl. c. 2. n. 2. Imperatorem sub se habere debere. 4. Reges, Regem 4. Duces, Ducem 4. Comites*

mites, Comitum 4. Barones, Baronem 4. Castellanos, Castellantum 4. *seu*
da. Cui similem in Marcolpho, cum essem puer, legere memini.

LXXVII. Apuleji locus legitur in Apologia: *Quindecim*
liberi homines populus est: totidem servi familia: totidem vincti ergastu-
lum. Ubi Scip. Gentilis expositio p. 243. *populum de vico* inter-
pretantis non satisfacit. Lux Apulejo inferenda ex Ulpiano, qui
decem aut quindecim homines turbam dici jubet, l. prator §. turbam
ff. de vi bon. rapt.

LXXIIX. Nunc committamus Apulejum cum Bodino.
Primum Apulejus *quindecim* liberos postulat. Verum in Bodini
tribus familiis *novem* certè sunt *servi*, liberi non plures sex. *Deinde*
Apuleji *populus* turba est hominum temerè confluentium. Quid
hoc Bodino ad civitatem? Tandem quòd *quindecim* numerat A-
pulejus, non adeò fixum est, quin alii, & in his ipse Ulpianus, vel
decem sint contenti. Enimverò totum hoc humani potius est
arbitrii, quàm exigentiæ naturalis. Omnino autem in hoc ge-
nere pro decem consensus est major. Varroni apud Gellium
XIII. II. non plures quàm novem placent convivæ. *Nam multos,*
inquit, esse non convenit, quòd turba plerunque est turbulenta. Non
obscurè illi, quod novenarium excedit, *turba* est. Sic Ciceroni de-
cem sunt *collegium*, III. de leg. p. 188: Sic Judæi *cæcum* non pauci-
ores propriè, quàm decem complecti docebant, idque ex Num.
14. colligebant, teste Heinsio *lib. 1. Exerc. sac. c. 13. p. 57.* Consen-
sit l. 1. C. de tut. vel curat. illustr.

LXXIX. De cætero, quòd pygmæam suam civitatem tri-
bus modis variat Bodinus, occasionem nobis præbet è suis cum
placitis impugnandi. *Non enim poterit in his ostendere suam Aristo-*
cratiam. Esto enim Monarchia, cum de tribus patribus fam. u-
nus imperat: Esto, cum omnes, Democratia, Ubi duobus unus
parebit, Aristocratia secundum Aristotelem esse poterit, secun-
dum Bodinum non poterit, quippe qui I. de Rep. 6. neget Aristo-
cratiam esse, ubi plures imperant paucioribus. Delatus ergò
est in tempestatem, ubi jactura sit illi è duobus decretis
alterius facienda. Nos verò hîc commodè in
portum appellemus.

F I N I S.

DD A 6358

ULB Halle 3
002 920 387



Sb.

Reho ✓ 1077

518



Handwritten text on the spine of the book, including a prominent red initial 'P'.



7



Q. B. V.
De
O NUMERO
SONARUM
Æ ITEMQ.
VITATIS
ANTIBODINIANA,
quam indultu
ltatis Philosophicæ
demiâ Lipsiensi
PRÆSIDE
O THOMASIO,
& Minoris Principum Col-
h. t. Præposito
boris locoq; consuetis MDCCLXIII.
defendet
S ULRICUS Mayer/
ophiæ Baccalaureus.
I P S I Æ
HENNINGI COLERI.

